

12. *Annotatio ad arborem pro diversitate numeri in ea positi.* — Pro intelligentia hujus arboris notandum, quod in quavis cellula ponantur duo numeri unus et quidem latinus supra, alter vero germanicus nempe, infra nomen: ubi per superiorem numerum designatur propinquitas et distantia gradus secundum computationem canonicam pro contrahendis matrimoniis. Per inferiorem autem seu germanicum numerum designatur propinquitas et distantia gradus secundum computationem civilem pro successione hæreditaria, prout bene advertit Glossa in explicatione præfate arboris. Hinc in computatione graduum pro contrahendo matrimonio illos inferiores numeros germanicos attendere non debes, ne confundaris. H. N.

13. *Regula computandi et cognoscendi gradus consanguinitatis in linea recta.* — Resp. ad quæsitum principale num. 11, positum, dando regulam pro quavis linea. Et quidem pro linea recta tam ascendente, quam descendente hæc est regula. « Tot sunt gradus, quot sunt personæ, una dempta: » si itaque scire vis, quot gradibus distet ab avus a te, pone te in vacuum cellulam mediam, ubi de facto Petrutius existit, ac numera una tecum personas usque ad abavum inclusive, inveniens quinque personas, deme unam, et erunt quatuor, consequenter tu et abavus tuus distabis quatuor gradibus.

14. *Regula pro linea transversali æquali.* — Pro linea transversali, seu collateralis duplex est regula una pro æquali, altera pro inæquali. Pro linea transversali æquali hæc est regula: « Quot gradibus quævis duarum personarum, de quibus quæritur, distat a proximo communi stipite, in quo conveniunt, seu a quo ambæ proxime descendunt, tot gradibus distant inter se. » Quot autem gradibus quævis persona collateralis distet a communi stipite, observare iterum debes regulam præcedentem pro linea recta datam; quia quævis persona collateralis in ordine ad stipitem communem censetur esse in linea recta, consequenter quot gradibus a communi stipite distat, juxta regulam lineæ rectæ debent computari gradus. Hinc quia quivis ex duobus fratribus aut sororibus uno tantum gradu distat a communi stipite, patre nempe, utpote a quo immediate ambo descendunt, sic etiam unico tantum inter se distabunt gradu. E contra quia duo patruus seu duorum fratrum proles *zweier Bruder Kinder* duobus gradibus distant a com-

muni stipite ab avo scilicet, utpote a quo ambo proxime descendunt, sic etiam duobus gradibus distabunt inter se.

15. *Regula pro linea transversali inæquali.* — Pro linea transversali inæquali, sequens est regula: « Quoto gradu remotior ex personis, de quibus quæritur, distat a communi stipite, a quo ambæ proxime descendunt, tot gradibus distant inter se. » Hinc tu, et patruus tuus *Vatters Bruder* distabis in secundo gradu; quia tu tanquam remotior duobus gradibus, distas a communi stipite, avo nempe tuo, a quo vos ambo proxime descenditis, et a quo ille in primo, tu in secundo gradu distas.

16. *Practica declaratio arboris, et cognatio distantie personarum inter se.* — Suppositis his regulis, quæ a Glossa cau. 33, q. 5, can. 6, post arborem consanguinitatis præscribuntur, et ab unanimi doctorum receptæ habentur, pergimus pro ulteriori, eaque practica declaratione arboris consanguinitatis juxta formam appressam. Ex hac enim statim et facile colliges, quoto gradu una persona ab alia distet, consequenter an matrimonium inter se contrahere possint, necne? dummodo unam ex personis, de quibus quæritur, ponas in illam mediam cellulam vacuum (in quo interea nomen *Petrutii* posuimus) et dein investigates de altera persona, utrum ad unam ex reliquis cellulis pertineat, et in ea poni possit; v. g. an altera persona sit *Petrutii* soror, aut consobrina, aut matertera, etc., siquidem (quod bene notandum) omnes personæ in reliquis cellulis positæ, sumunt nomen a persona in vacua cellula posita, et respectu ipsius vocantur (exceptis illis quæ per genitivum nominantur) ita ut, quæ in arbore supra posita vocantur, v. g. pater, soror, matertera, patruus, filius, etc., sit et censeatur esse pater *Petrutii*, matertera *Petrutii*, soror *Petrutii*, etc., prout bene advertit Glossa, loc. cit., quod, si invenias alteram personam pertinere ad unam ex reliquis cellulis, jam inferes eam non posse nubere *Petrutio*: si non invenis, inferes posse ei nubere; quia *Petrutius* in vacua cellula positus habet impedimentum consanguinitatis cum omnibus et solis positus in una ex reliquis cellulis, utpote cum nulla ibidem reperitur persona, quæ non saltem in quarto consanguinitatis gradu distet a *Petrutio*, qui gradus adhuc dirimit matrimonium. Item nulla alia persona sit, quæ saltem in quarto consanguini-

tatis gradu *Petrutio* conjuncta sit, et non existat in una ex cellulis reliquis.

17. *Uterior declaratio præsertim pro linea recta.* — Quod, ut facilius capias, repeto, et aliter, ac magis declaro: si vis cognoscere quanto consanguinitatis gradu duæ personæ inter se distent, attende prius, an sint in linea recta, vel transversali: si deprehendis eas esse in linea recta, accipe arborem, pone in mediam cellulam unam ex dictis personis, et adhibe regulam n. 13, positam.

18 et 19. *Pro linea transversali æquali et inæquali.* — Si in linea transversali existat, pone pariter unum ex illis in mediam illam cellulam, et quære, ad quam ex reliquis cellulis altera persona pertineat, statimque vide, in quo stipite communi proximo conveniant, seu a quo ambæ proxime descendunt; dein alterius indaga, an una earum magis distet, et remotior sit a communi stipite, necne? Si nulla est remotior, sed æqualiter distant ab eo, observa regulam num. 14 positam, et incipe numerare a qua ex duobus, de quibus quæritur, numerare vis; tantum enim distabunt inter se, quantum quævis earum a communi stipite: sic v. g. patruus, seu duorum fratrum proles *zweier geschwister Kinder* distabunt duobus gradibus inter se; quia quævis earum secundo gradu distat a communi stipite avo nempe eorum, utpote a quo ambo proxime descendunt.

Si autem una remotior sit ab illa persona in arbore posita, ascendendo usque ad stipitem communem, quo ambæ descendunt, numerare incipe a remotiori: quot enim gradibus hæc remotior a communi stipite distat, tot distabunt inter se juxta Regulam num. 13, positam, v. g. pronepos fratris a sorore fratris distabit quatuor gradibus a communi, in quo conveniunt, stipite, qui respectu pronepotis est abavus, respectu sororis vero est dicti fratris pater: nam pater memorati pronepotis est nepos fratris, avus vero dicti pronepotis est filius fratris, proavus autem ejusdem pronepotis est ipse frater sororis, abavus tandem ipsius est pater fratris et sororis, in quo tanquam stipite communi tam pronepos quam soror, de quibus quæritur, tandem conveniunt.

20. *Annotatio de nominibus personarum in arbore positarum.* — Ubi, ne confundaris, advertendum, quod, licet respectu personæ in vacua cellula (ubi de facto exempli gratia *Petrutius* est) positæ, omnes aliæ personæ

in reliquis cellulis collocatæ nomen suum habeant, et retineant, ipsæ tamen personæ in reliquis cellulis positæ respectu earumdem inter se nomen omnes non habeant; nam quæ in arbore ponuntur et respectu *Petrutii* vocantur frater, soror, eadem respectu patris in arbore positæ sunt liberi; item qui in arbore ponitur et respectu *Petrutii* vocatur avunculus, respectu avi in arbore positi, est filius.

21. *Quorundam error.* — Cæterum colliges, male a nonnullis doceri ad cellulam vacuum ubi de facto interim ponitur *Petrutius*, pertinere, et poni debere stipitem, cum juxta dicta, nullatenus stipes communis, sed una ex personis, de quarum consanguinitate quæritur, ibidem poni, et dein altera persona, in qua ex reliquis cellulis distet, indagari, ac tandem videri debeat, quantum, seu quot gradibus remotior earum a communi stipite proximo, in quo ambæ conveniunt, seu a quo ambæ proxime descendunt, distet.

22. *In comparatione graduum attendi debet ad communem stipitem proximum.* — Ubi ulterius advertendum, quod, ut sæpe jam repetitum est, indagandum sit, a quo communi stipite proximo ambæ personæ, v. g. *Petrutius* et ejus matertera descendant; quamvis enim proximum principium generationis, a quo *Petrutius* descendit, sit pater et mater, tamen hoc principium non est commune utrique, *Petrutio* nempe et materteræ, a quo ambo descendunt, sed avus; et quamvis etiam proavus sit commune utriusque principium a quo uterque descendit, tamen non est commune principium, seu stipes utriusque proximus, sed avus: ut proin notanter hactenus repetiverimus « a communi utriusque personæ, » de qua quæritur, principio seu stipite proximus, utpote a quo, vel usque ad quem a remotiori persona numerari, et una dempta, numerus graduum desumi debet per dicta.

23. *Practica computatio graduum, arbore ad manum non existente.* — Quod si quis arborem ad manum non habeat, et tamen libenter scire vellet, an duæ personæ sint consanguineæ, et quot gradibus inter se distent, tantum breviter scrutetur, et investiget primo, an ab aliquo communi stipite per propagationem descendant; hoc habito videat, an in linea recta sint vel transversali; cognito, quod sint in transversali, indaget, quænam harum personarum sit remotior a

communi stipite, quo perspecto numeret ab illa remotiori in linea recta usque ad communem utriusque stipitem proximum inclusive, et inferat tot gradibus distare remotiorem a communi stipite, quot sunt personæ una dempta, juxta regulam n. 13, positam; consequenter tot gradibus easdem distare inter se, quot gradibus remotior a communi stipite. Si autem ambæ personæ æqualiter distant, observet regulam supra n. 17, positam, si ambas invenit in linea recta, habet paratam pro hac regulam num. 13.

Ne indigneris, amice lector, quod doctrinam hanc de arbore consanguinitatis tam simpliciter et tanta repetitione facta tradamus, quia etiam pro simplicioribus scribimus, quorum aliquos in hac re non parum confusos novimus.

24. *Consanguinitas jure antiquo usque ad septimum gradum dirimebat, hodierno autem novo jure tantum ad quartum dirimit.* — Quæritur III. Quousque seu ad quotum gradum impedimentum cognationis carnalis, seu consanguinitatis, et quo jure dirimat matrimonium inter consanguineos? Resp. I. Quamvis antiquo jure usque ad septimum gradum inclusive in linea transversali impedimentum consanguinitatis matrimonium dirimerit, can. *Nullum*, 7, can. *Consanguinitate*, 17, cau. 33, q. 3, ibi: « De consanguinitate sua uxorem nullus ducat usque potest generationem septimam, » cum concord. Tamen hodierno jure in dicta linea transversali non nisi ad quartum gradum inclusive dictum impedimentum dirimit matrimonium. Unanimis ac certa, textu expresso c. *Non debet*, 8, h. t., quod est ex concilio generali Lateranensi desumptum, ubi antiquæ constitutiones revocatæ fuere præmissa revocationis causa ac justificatione illis verbis: « Non debet irreprehensibile judicari, si secundum varietatem temporum statuta quandoque varientur humana, præsertim eum urgens necessitas, vel evidens utilitas id exposcit; quoniam ipse Deus ex nis, quæ in Veteri Testamento statuerat, nonnulla mutavit in Novo. »

25. *Impedimentum consanguinitatis in linea recta jure ecclesiastico in infinitum dirimit.* — Resp. II. Impedimentum consanguinitatis in linea recta jure ecclesiastico dirimit in infinitum, Abbas, in c. *Non debet*, h. t., num. 8; Sylvester *¶ Matrimonium*, 8, q. 6, dict. 5; Engel, h. t., num. 9, et alii contra Sanchez, ib. VII, disp. 51, num. 22; Pontium, Fa-

gnanum, et plures alios arg. I. *Nuptiæ*, 53, ff. *de Ritu nuptiarum*, ibi: « Nuptiæ consistere non possunt inter eas personas, quæ in numero parentum liberorumve sunt, sive proximi sive ulterioris gradus sint usque ad infinitum. » Quæ lex cum nullibi reperitur correctæ a jure canonico (nam c. *Non debet*, videtur loqui de sola linea transversali) in eo quoque observanda venit; quia « sicut leges non dedignantur sacros canones imitari, ita et sacrorum statuta canonum principum constitutionibus adjuvantur. » Fundamentum adversariorum adducere, et solve re superfluum videtur; quia, cum ipsi et omnes concedant, usque ad quartum saltem gradum hoc impedimentum dirimere, ultra illud autem in praxi vix possibilis sit casus, quod quis ascendens quintam generationem in linea recta nubere possit, aut velit, mera speculativa foret de hoc disputatio.

26. *Quoad primum gradum ejusdem lineæ etiam jure naturæ.* — Quæritur IV. An impedimentum consanguinitatis non tantum jure humano, sed etiam divino et naturali matrimonium dirimat? Resp. I. Impedimentum consanguinitatis inter consanguineos in linea recta quoad primum gradum, parentes videlicet, et liberos, dirimit jure divino, et naturali. Caret controversia. Et ratio est; quia ipse instinctus naturalis matrimonium inter parentes et liberos abhorret, ut proin merito dicatur I. *Adoptivus*, 14, § 2, ff. *de Ritu nuptiarum*. « in contrahendis matrimoniis naturale jus et pudor inspiciendus est: contra pudorem est autem, filiam in uxorem suam ducere. »

27. *Imo etiam quoad reliquos gradus lineæ rectæ jure naturali dirimit.* — Resp. II. Quamvis aliqui cum D. Thoma, in 4, dist. 40, q. un., n. 3, et Sanchez, lib. 7, disp. 51, n. 19, velint, impedimentum consanguinitatis, matrimonia ultra primum gradum jure naturæ non dirimere, consequenter Papam dispensare posse, quod avus neptem suam possit ducere in uxorem: alii vero ut Gonzal. in c. *Quod super*, 5, h. t., usque ad quartum, alii usque ad septimum gradum dicto impedimento vim tribuant ex natura matrimonium dirimendi; probabilissimum tamen est, dictum impedimentum jure naturæ in infinitum dirimere matrimonia inter consanguineos in linea recta, ut si Adam, vel Eva adhuc viverent, nulli ex omnibus hominibus nubere possent, ita Scotus, in 4, dist. 4, § *De secundo*; Sporer, v. 4, cap. II,

sect. 1, n. 68; Herinx, et alii Scotistæ, arg. cit., I. *Nuptiæ*, et I. fin. *de Ritu nuptiarum*, ibi: « Jure gentium incestum committit, qui in gradu ascendentium, vel descendentium uxorem duxerit » Concordat § *Ergo non omnes. Instit. de Nupt.* Ratio est, quia omnes ascendentes respectu descendentium habent veram rationem principii, et veniunt nomine genitorum, et parentum, descendentes vero nomine liberorum, arg. cit. I. *Nuptiæ*, 53, ff. *de Ritu nuptiarum*. atqui inter parentes et liberos jure naturæ matrimonium est irritum, I. *Adoptivus*, 14, ff. eod. ergo. Accedit, quod non habeatur casus, quo cum aliquibus in linea recta dispensatum esset.

28. *Inter consanguineos primi gradus lineæ transversæ, fratres nempe et sorores matrimonium jure naturæ dirimit.* — Resp. III. Inter consanguineos lineæ transversæ in primo gradu inter fratres nempe et sorores matrimonium jure naturæ est nullum, ut proin in eo Papa dispensare non possit. Scotus, in 4, dist. 40, q. un., ubi solvit rationes oppositæ sententiæ. Guttierrez, *de Matrim.*, cap. xviii, num. 20; Sanchez, lib. VII, disp. 52, num. 41; Contra D. Thomam 2, 2, q. 154, a. 9, et plures alios citatos a Sanchez, loc. cit., n. 40, arg. c. *Gaudemus*, 8, *de Divortiiis*, ubi Papa decrevit, quod infideles conversi ad fidem separari non debeant, si in secundo et ulteriori consanguinitatis gradu existentes antea matrimonio juncti fuere; quia legibus ecclesiæ infideles non arctantur; ergo a sensu contrario, si in primo gradu uniti essent, separandi forent, eo quod talis gradus jure naturæ dirimat. Hinc etiam in concilio Tridentino, sess. 24, *de Reform. matrim.*, cap. v, dicitur, in secundo gradu consanguinitatis adhuc dispensari posse cum principibus personis; ergo a contrario in primo non, consequenter in primo gradu est contra jus naturæ.

29. *Ratio hujus allegatur.* — Ratio conclusionis est; quia inter fratres et sorores est innatus quidam pudor et reverentia naturalis, cui vaide adversatur actus conjugalis, adeo ut omnes etiam infideles nationes bene instructæ, solo lumine naturali ductæ ab hujusmodi conjugio abstinerent, et quæ talia permittebant, barbaræ reputabantur. Hinc etiam nullibi legitur, quod ecclesia in primo gradu unquam dispensaverit.

30. *Solvuntur instantiæ.* — Nec obstat, quod ab initio mundi Cain duxerit sororem suam in uxorem, Resp. enim cum doctore

subtili, id factum esse ex necessitate ob defectum aliarum feminarum, urgente alio præcepto naturali fortiori de conservando genere humano; concurrentibus enim duobus vinculis, quod fortius est, ligat.

Dices, etiam multiplicato jam genere humano, et cessante illa necessitate Abraham vir sanctus duxit Sarai sororem suam prout ipse faletur, Genes., xx, ibi: « Vere soror mea est filia patris mei, et non filia matris meæ. » Resp. hoc dici, quia Sarai fuit consanguinea Abraham, prout expresse habetur can. *Quæritur* 22, q. 3, ibi: « Soror dicitur; quia filii fratris erat, » utpote genita ex Aran fratre Abraham; siquidem in Scriptura sancta etiam soli consanguinei dicuntur fratres et sorores, juxta quod aliqui ad Christum dixerunt *Marci*, cap. iii: « Ecce mater tua, et fratres tui (id est consanguinei) te toris quærent. » Et Tobias junior vocat Sarai, sororem suam, Tobie, cap. viii, quæ tamen fuit solum consanguinea ipsius. Quin imo observat D. Thomas, p. III, q. 28, a. 3, ad 3, quod in sacra Scriptura dicantur fratres quatuor modis, videlicet, natura, gente, cognatione et affectu.

31. *Inter consanguineos secundi et ulterioris gradus lineæ transversæ, jure solo ecclesiastico dirimitur matrimonium.* — Resp. IV. In secundo et ulterioribus gradibus lineæ transversæ, solo jure ecclesiastico, non item divino dirimitur matrimonium. Communis ac certa, arg. *Concil. Trident.*, sess. 24, *de Reform. matrim.*, cap. v, ubi expresse habetur, posse in secundo gradu dispensari, consequenter gradum secundum non dirimere jure naturæ; cum in hoc papa nequeat dispensare. Accedit, quod jam sæpe in secundo consanguinitatis gradu fuerit dispensatum. Confirmatur ex cit. c. *Gaudemus. de Divortiiis*, ubi matrimonium infidelium inter consanguineos in secundo gradu agnoscitur validum, consequenter non est contra jus naturæ.

## § II.

## DE AFFINITATE, ET IMPEDIMENTO INDE PROVENIENTE.

32. *Affinitas, et affines quia, ac unde?* — Quæritur I. Quid, quotuplex, et unde sit affinitas? Item inter quos dirimat matrimonium? Resp. I. Affinitas est propinquitas personarum ex copula carnali perfecta pro-